



Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotee.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Ejus exercitij, tum necessitas, tum utilitas ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](#)

fuerint, familiariter amantēque conferas; cum illo, post curas atque labores, fatigatam mentem subinde recrees ac reficias; cum illo denique (cū temporis aliquid vacuum tibi fuerit) omissis frigidis, quæ ab aliorum amicorum convictu ac consuetudine expectari possunt, solatiolis, otium temporis sancte ac jucundè oblectes. Ut enim recte cum

Expl: pag. cap. 16. Joanne Thaulero Lætiensis Abbas: *Quid possit amanti ame esse suavius, quam ut post distractiones, labores, perturbationesque multas in hac lacrymarum valle (velit, nolit) ei occurrentes, eamque fatigantes, sub hac salutifera crucis umbra respiret, sese reficiat, sensus dispersos colligat, animamque et hanciam delectabili arboris bujus fructu confortet?* Hæc ibi,

Eodem facit Exercitium, quod ob materiæ similitudinem capite sequenti adjungimus: quamvis possint hæc & quedam similia, etiam ad partes sequentes, sive ad interiorem aliquam animæ occupationem pertinere.

C A P V T V.

Sumptā in manus Christi crucifixi effigie, sese subinde ad bonam mortem exercere.

§. I.

Ejus Exercitiū, tum necessitas, tum utilitas, ostenditur.

PRÆSENS exercitium propterea seorsum proponimus, quod & super eo pluscula nobis dicenda sint, & ad bonam mortem (à qua omnis pender æterna nostra felicitas) non mediocrem vim videatur habiturum esse.

Id autem est hujusmodi: ut ab omni cura molestiori feriatus, cùm te animo tranquillo, proindeque ad divinos sensus magis composito, esse senseris; partem aliquam temporis tibi deligas, quæ clauso ostio cubiculi tui, & sumptu-

in manus Christi crucifixi effigie, eōq; delecto situ corporis, qui in rem præsentem maximè facere videbitur, cum Salvatore tuo ac Judice, tuā salutis causam otiosius agere insti-
tuas, atque ex formula, quam pōst paulō subijcam, tan-
quam si in fatali lectulo supremæ horæ signum expectes, in
ijs proinde animi sensibus atque affectibus, qui extremo illi
tempori congruere videantur, in ijsdēmque cum ipso Chri-
sto crucifixo sermonibus collocutionibꝫusque, te exerceas.

Neque intempestivum fortassis aut præproperum cen-
sebis hoc studium; si cum animo tuo istinc reputes in pri-
mis incertum humanae vitæ; cùm forsan hæc dies, forsan
hæc hora, forsan hoc momentum supremum nobis futurum
sit; istinc autem rei pondus & magnitudinem æstimes.
Quippe cùm de arte bñe moriendi agitur, ea profectō res
agitur, cui prout oportet condiscendæ, omnis utique vita
meritissimò sit impendenda: adeóque non frustra fuisse,
sed ingentem sanè vivendo profectum is fecisse censendus
sit, qui vel hoc unum in omni vita didicerit: *Bene mori.*

Audi eam in rem Romanum Philosophum ad amicum
suum Lucilium præclarè, & tantūm non Christianè scriben-
tem: *Magna res est hæc* (inquit) *Lucili, & diu dispendia, cùm*^{Ep. 30.}
adventat illa hora inevitabilis, equo animo abire. Et rursus:
Vix tota vita sufficiat, ut hoc unum disperdas, vitam contemnere.^{Ep. 111.}
Et alio tractatu: *Vivere tota vita dispendendum est: & quod de brev. vias*
magis fortasse miraberis, tota vita dispendandum est mori. Ut
jam te, mi Lector, non pigeat, vel otij tui particulam ali-
quam, in eam quam dixi exercitationem conferre; & istâ
velut prolungatione, ad horam illam decretoriam, extremâ-
que vita actum, te comparare.

Nam si, qui fabulam comœdiāmve acturi sunt, priùs in
scenam quam prodeant, diu multūmque exerceri; & ad vo-
cis flexum, mutationem vultus, corporis gestum ac motio-
nem, verbo ad id omne, quod personæ quam gerant apte-

sustinendæ necessarium existimetur, studiosissimè formati solent; suis ut denique spectatoribus se approbent, atque ab ijs inanes plausus laudémve peritaram reportent: quam non oportet nos diligentiam, curam, studium, præmeditationem, exercitationem adferre, ut non jam in fabula, aut rei seriae, attamen ludicro, imitamento, verùm in re omnium maxima atque gravissima, Deo vitæ nostræ, non otioso spectatori, sed ad præmium pœnámve æternam justissimo certissimóque Judici, probemur: ne cùm inexercitati ac rudes ad vitæ clausulam peragendam venerimus, extremo in actu (in quo posita sunt omnia) miserrimo lapsu corrui-
mus, atque errore irrevocabili & inemendabili peccemus.

Neque hac in parte ulla occupationum excusatio admittenda est. Quasi ullus homo sit ita temporis egens, quin illius portionem aliquam, & velut horarum succisia, non modò honesta remissioni, sed rebus etiam supervacaneis interdum donare possit: aut tanquam occupatio ulla sit ei negotio anteferenda, quo non jam tempori (quod a-
junt) servitur, sed æternitatis securitati consulitur.

*L. 6. Conf.
cap. 11.* Augustinus olim, circa suæ ad Deum conversionis consilia fluctuans, & magno pugnantium cogitationum, æstu' jactatus, cùm illud de quo nunc agimus, præclarè apud animum suum statuisset: *Deputentur, inquiens, tempora, distribuantur hora pro salute anime:* continuò illâ occupationum objectâ mole, ab eo quod jam instituerat, pœne re- pulsus & retroactus est; cum ijs se curis, sive professionis rhetoricae, sive aliorum officiorum, distineri diceret, nulla ut ab ijs vacua sibi temporis pars, ad ea cogitanda agitandâ ve quæ maximè vellet, relicta esse videretur. Sed eni- rursus omnem hunc curarum temporalium obtentum, æternae salutis desiderio mortisque timore, generosè dis- turbat ac disjicit. *Pereant omnia* (inquit) *& dimittamus bu-
vana & inania;* conferamus nos ad solam inquisitionem ver- talia.

tatis. Vita hac misera est, mors incerta: si subito obrepatur, quomodo hic exhibimus? Et ubi nobis discenda sunt, quae hic negleximus? An non potius hujus negligentiae supplicia luenda sunt? Ista Augustinus. Quae quidem omnia suo quodam modo valere possunt etiam in rem praesentem. Quemadmodum enim serum nimis est, morte jam obitam, artem discere bene moriendi: ita qui constante vita disciplinam eam neglexerit, ut in instantanea morte moriendi artem addiscat, audeo dicere, propemodum nimis serum esse. Quando videlicet ipso terrore vicinæ, neque antea unquam satis considerata atque provisa, mortis occupatus animus, & praesentium sensu, futurorum metu perculsus, tot inter curas, dolores, angores, perturbationes, horrores, tenebras, vix jam seipsum respicere, minùs etiam ea, quae suæ salutis ratio eo in tempore postulet, circumspicere potest. Quo etiam sit, ut plerosque videas, cum inexercitati & imparati ad moriendum accerint, etiam sub ipso mortis ictu sollicitius de ea differenda, quam quomodo rectè obeunda sit cogitare; interque has curas, ipso suo facto quasi præoccupatos, salutis suæ res, si non deploratas, at dubias tamen atque incertas relinquere.

Magna igitur res est, & nullo non die, omnique adeò vita discenda, Christianè mori: hoc est (inquam) ut pie, ut sanctè mortem obeas; ut cum non dubia salutis spe, &c. (quoad ejus fieri potest) beatæ securus aeternitatis decedas.

Et quoniam ejus disciplina pars non contemnenda, est praesens exercitatio; ad eam te hortor, Lector optime: quia ut hoc transferam, quod, in re non absimili, de animo ad paupertatem preparando dixit Seneca: *Necessarium judico, Ept 20. id quod tibi scripsi magnos viros sepe fecisse, aliquos dies interponere, quibus nos imaginariâ (ille paupertate dicitur, nos morte) exerceamus ad veram.*

§. 2.